

ARTICULUS XI.
DE
PRÆDESTINATIONE
ET
REPROBATIONE.

APHORISMUS I.

Prædestinatio est actus Evangelicus, quô DEUS in Christo secundum ordinationem mediorum tum ex parte DEI, tum ex parte hominum & prævisionem finalis perseverantiæ in fide, certa individua antejecta mundi fundamenta è massâ hominum corruptâ ad æternam gloriam gratiosè elegit ad laudem gratiæ & gloriæ suæ.

De Præde-
stinatione.

EXPLICATIO.

1. Ordinem pædias quod attinet, nemo turbetur, cum peculiarem nostratum methodum videt, quod agant ultimò de prædestinatione.
2. Distinguendum inter ordinem decretorum inter se collatorum, & inter ordinem executionis decreti prædestinationis reliquorum decretorum. Priori modo ordine prius est decretum de vocatione &c. Posteriori modò decretum prædestinationis est actus æternus, actualis verò vocatio, sanctificatio &c. actus temporalis.
3. Methodum Pauli observamus, Rom. VIII, 29.

I. Prædestinatio.

1. Prædestinatio non Prævisio aut Præscientia dicitur. Posteriora enim duo licet etsi in prædestinatione includantur, latius tamen patent. Leo M. ait: *Credo DEUM tantum prædestinasse bona, præscivisse autem bona & mala.*
2. Distinguendum inter vocabulum hoc acceptum in totâ latitudine, & restrictè ac determinatè. Priori modò latè patet ejus usus; significat enim generaliter destinare & prædeterminare aliquid ad certum finem. Hòc locò ad salutem saltem hominum restringitur.

Zz 3

3. Distin-